Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2123
Quelle:
Copyright:

losophum quendam aduliſcentulo cuidam quem preſentem occultabat cauſa ſilentii tali uoce profatum; aduliſcens loquere vt ſciamus te; oſtendere uolens. ex ſermonibus probari hominem et tamdiu unumquemq. quamdiu in ſilentio fuerit ignorari. Poſtquam dein oſtendiſſet, *Salomonem* multo ante idem ſenſiſſe et dixiſſe, pergit: *Huius igitur definitionis ueritatem ego iam retro quidem credens nunc me tamen probaſſe confiteor qui honorificentiam tuam diu ignoratam habui. Sed poſtquam te licet parum loquentem audiui. Inuiſibilis mihi ſomnus* (certe ſonus) *prodidit. quem uiſibilis diu corporis uultus abſconderat. quamquam et cultor tuus ſanctus martyrius olim paruitati meae religionis tuæ preconia dixerit. ſed difficile humana natura ita alteri credit ut ſibi; ergo quoniam quod aliquamdiu audieram per me ipſe cognoui. illius te eſſe chriſtianitatis atque prudentiæ. ut ueritatis rationem non aſpernanter accipias; Nolo te errare cum ceteris. qui ex hoc arbitrantur ſe inpune peccare. qui* (quia) *ignorantiam habeant diuine uoluntatis* &c. Contra hanc deinceps ignorantiam ſolide diſputatur, aliaque hominis Chriſtiani officia commendantur, maxime illud: *Quecumq. uobis fieri non uultis. alio ne feceritis.* Clauditur: *Hec interim honorificentiæ tuæ ut epiſtole breuitas paſſa eſt credidi ſcribenda. Cupiens ſanctitati tuæ preſens loqui et de quibuscumque fueris conſulere dignatus. te reddere certiorem. Opto te ſemper deo uiuere. et perpetui conſolatus honore gaudere.* Hominem Deo dicatum, puta Epiſcopum, ad Virum in dignitate profana conſtitutum ſcribere, extra dubium eſt; verum excuſſis non obiter usque ad *Sec. VI.* medium, quod vix excedit Autor, Ἐπιστολογραφοις, nil certi reperi, niſi quod *Martyrium* in *Epiſtolis Symmachi* bis nominari video. At plures hoc nomine fuere. Itaque oculatiori lampada trado.

DLVIII.

Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 158. 4. luculente exaratus, rubricisque diſtinctus continet: I. *Hugonis a S. Victore* Can. *Reg. Pariſ.* anno 1140. vivis exemti Opus, quod hic inſcribitur: *Hugo de archa noe pro archa ſapientie cum archa eccleſie et archa matris gratie*, conſtatque V. *Libris*, ut videre eſt in Edit. Opp. *Rothomag.* T. II. 1648. a p. 286. a qua tamen notandae ſunt praeſentis *Cod.* diſcrepantiae. Liber *de Arca Noe*, qui in Edit. ceteris IV. praeponitur, in *Codice* V. eſt et ultimus. *Codex* igitur a L. II. ita auſpicatur: *Cum ſederem aliquando in conuentu fratrum* &c. Ex hujus Libri *Cap.* 2. adſcribam, quae Titulum Operi ſupra praefixum illuſtrant: *Prima* (Arca) *eſt quam fecit noe. ſecuribus et dolabris. ex materia lignorum et bitumine. Secunda eſt quam fecit chriſtus per predicatores ſuos. ex collectione populorum. in una fidei confeſſione.* 726